

atque haec omnia charissimi in Christo filii Ferdinandus et Heli-  
 sabeth, sapientissimi ac pientissimi Castellae reges, consideran-  
 tes animoque metientes, quam luctuosae rebus christianis, quam  
 perniciosae apostolicae Sedi, quam periculosa fidei catholicae  
 essent hujusmodi perturbationes, maxime propter schisma, quod  
 in Ecclesia a nonnullis jam procurabatur, pio zelo ducti univer-  
 salis concordiae miserint ad nos humiliter pro pace supplicatum;  
 idem venere ipsi fratres nostri, idem populus romanus, idem aliae  
 ecclesiasticae civitates, idem reliqui Italiae potentatus summis pre-  
 cibus postulaverint, rogaverintque; duximus eorum honestissimo  
 desyderio annuendum, praeceipue quum ad priscum institutum et  
 naturam nostram parandae conservandae pacis hoc accedat, atque  
 in ea inciderimus tempora, in quibus nihil magis expetendum,  
 nihil magis necessarium sit, quam Italiam inter se consentientem  
 habere, ab armis discedere, capta hinc inde restituere, odia et  
 simultates deponere, in mutua tranquillitate conquiescere, si vere  
 christiani esse yolumus, si libertatem, si fortunas, si Dei cultum  
 et religionem, qua nihil nobis carius esse debet, adversus imma-  
 nissimam turcorum gentem excidio Italiae imminentem tueri et  
 protegere desyderamus. Quam ob rem, quum persuadeamus no-  
 bis et te et inelytam rempublicam tuam ab hoc communi bono  
 non abhorrire; quippe quae omni tempore pacem dilexerit et  
 omnes discordiarum causas de medio tollere studuerit; horta-  
 mur te paterno affectu, ut postquam reliqui omnes in mutua  
 quiete nobiscum conjungi cupiunt et postulant, velis et tu ad  
 hanc sanctam et optabilem unitatem accedere, ab armis disce-  
 dere, capta restituere, res ferrarienses omittere, neque amplius  
 bello et obsidione civitatem illam nostram urgere. Quod profecto  
 non solum summa sapientia tua dignum erit, qui considerare  
 potest, quo in discrimine Italia omnis versetur; sed ita tibi erit  
 honorificum et gloriosum, ut immortalem laudem apud omnes  
 sis consequuturus. Siquidem offerimus nos excellentiae tuae in  
 justitia prompte et expedite non defuturos, si quid habes, quod